



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De bonis illorum qui à dominis propriis libertate donantur. xxiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

ca: Debet enim esse immunis ab aliis, qui diuinæ militiæ fuerit aggregandus, vt à castris dominicis, quibus nomen eius ascribitur, nullis necessitatum vinculis abstrahatur.

De bonis illorum qui à dominis propriis libertate donantur. Cap. XXIII.

*Ex concil.
Toletano,
cap. 2.*

DE rebus verò illorum, vel peculiari, quia dominis propriis libertate donantur, vt ad gradus ecclesiasticos promoueri debeant, statutum est, vt in potestate dominorum consistat, quicquid ante libertatem habuerunt, vtrum illis concedere voluerint, an sibi retinere.

Vt seruus nesciente domino suo ordinari non debeat.

Cap. XXIII.

*Ex concil.
Aurelian.
cap. 5.*

Seruus si absente aut nesciente domino, episcopo sciente quod seruus sit, diaconus aut presbyter fuerit ordinatus, ipso in clericatus officio permanente, episcopus eum suo domino duplici satisfactione compenset. Si vero episcopus eum seruum nescierit, qui testimonium perhibent, aut eum supplicauerint ordinari, simili retributione teneantur obnoxij.

De his qui libertatem à dominis suis ita percipiunt, vt nullum sibi obsequium retentent. Cap. XXV.

*Ex concil.
Toletano,
cap. 73.*

Quicumque libertatem à dominis suis ita percipiunt, vt nullum sibi in eis obsequium patronus retentent, isti, si sine crimine capitali sunt, ad clericatus ordinem liberi suscipiantur: quia directa manumissione absoluti esse noscuntur. Qui verò retento obsequio manumissi sunt, pro eo quod adhuc patroni seruituti tenentur obnoxij, nullatenus sunt ad ecclesiasticum ordinem promouendi, ne, quando voluerint eorum domini, fiant ex clericis serui.

De seruis ordinandis secundum ecclesiastica mandata, quomodo ingenui fieri debeant. Cap. XXVI.

*Ex concil.
Remensi,
cap. 1.*

Autoritas ecclesiastica patenter admonet in superbia maiestas regia canonice religioni assensum præbere, vt quicumque ad sacros ordines ex familia propria promouere Ecclesia quæque delegerit, in præsentia sacerdotum canonicorum simul & nobilium laicorum, eius cui subiectus est subscriptione & manumissione sub libertatis testamento sollemniter roboretur. Idcirco ego Burchardus